



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XVII. Diploma Sigeberti Regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

Diploma Sigeberti Regis.

IN Dei nomine Sigibertus Rex Francorum vir illustris. Singulariter, & per cuncta feliciter ad mercedis nostræ credimus augmentum petinere, si larga munera summo Deo omnipotenti deuota mente offerre non dubitamus. quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, quando, ex propria voluntate compendia seruorum Dei destinare non dubitat. Ideoque sub deuotione animæ nostræ cum consilio magnificorum Episcoporum & aliorum illustrium virorum ex nostræ largitatis munere, monasterium regulare iuxta Patrum conditionem construximus, & ibidem, Christo auspice, Remaculum Abbatem constituimus, vt ibidem secundum ordinem, & monumenta sanctorum Patrum conuersari debeat. Igitur de fisco nostro ad vsus seruorum Dei cum emunitate partem aliquam donamus, vt habeant, possideant, suisque posteris spiritualibus derelinquant, vt potius eos delectet attentius preces pio Domino incessabiliter pro nobis fundere. Et vt hæc præceptio firma & inuiolata permaneat, manus nostræ subscriptionibus subter eam decreuimus roborari.

Diploma Sigeberti Regis.

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri IESU Christi Sigibertus Rex Francorum vir illustris. Singulariter regni nostri compendia proluxa felicitate, Deo adiuuante, confitemur augmentare, quidquid sacrosanctæ Ecclesiæ propriæ deliberationis arbitrio serenitas nostra contulerit: quia tunc legalis potestas sui culminis fundamenta corroborat, quando larga humanitate condigna munera in honorem Dei conferre non dubitat.

Igi-